

XVIII. Uterius cum potestas censuras ferendi spectet ad ea quae jurisdictionis, & non quae Ordinis sunt, consecratorum est, eam & competere Episcopo confirmato, & non ordinato: quia huic competunt omnia quae jurisdictionis sunt, uti ostendimus parte 1. tit. 1. cap. 5. Unde notat Suarez loco citato Sect. 2. num. 6. quod Episcopus Ordinarius destitutus proprio Episcopatu, puta vicarius, non possit ferre censuras: "quia (ait) haec potestas non comitatur, necessario potestatem Ordinis, seu consecrationis Episcopalis, sed comitatur Pastorale munus, cum ad potestatem jurisdictionis spectet.

XIX. Praeterea quae jurisdictionis contentiosa sunt, & referuntur ad potestatem Clavium, prout haec in foro externo exercetur, etiam Clericis primae Tonfurae competere posse crediderunt Canonistae; atque ita communi praxi comprobatur est.

XX. Hinc & concludunt a simili Clerico primae Tonfurae ferri posse Censuras vi jurisdictionis sibi competentis; uti monet Suarez ibidem Sect. 3. num. 11. "Ratio est (ait) quia haec jurisdictio per se & natura sua non supponit characterem, cum ad forum contentiosum pertineat.

XXI. Addunt, & hanc potestatem, quemadmodum reliqua quae jurisdictionis sunt, posse acquiri consuetudine & praescriptione: creduntque communiter Canonistae, Plebanum, de quo in Cap. 3. De Officio Ordinarii, ex speciali consuetudine aut praescriptione potestatem ferendi censuras habuisse.

XXII. Denique cum jurisdictione alicujus non se extendat ultra ejus territorium ejusque subditos, neque ipsa censura ab hac jurisdictione emanans potest se ultra subditos extendere: Ideoque censura lata in non subditum nulla & irrita est defectu jurisdictionis.

XXIII. Sed ne praetextu exemptionis a jurisdictione Episcoporum Censurae Episcopales a Regularibus contemnerentur; atque ita earum visceret auctoritas, statuit Synodus Trid. sess. 26. cap. 12. De Regularibus. "Censurae & interdicta nedum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur atque servantur.

XXIV. De Censuris a jure & ab homine latis; item latae & ferendae sententiae; de forma & conditionibus in probatione censurarum observandis; quae causa requiratur, quis item earum effectus; & quomodo solvi queant, notabitur in singularum Censurarum, praesertim excommunicationis expositione.

CAPUT III.

De Variis Excommunicationis Speciebus.

- 1. Nonnullae excommunicationis species Veteribus usitatae, Recentioribus incognitae & contra.
- 2. Tam illarum quam harum notitia necessaria.
- 3. Species excommunicationis olim usitatae rationem poenae potius quam censurae habens.
- 4. Hujus excommunicationis exemplum in Episcopo sine causa absente a Synodo Provinciali.
- 5. Qua ratione haec poena dici queat excommunicatio?
- 6. Non tamen excommunicatio qua sit censura.
- 7. Species excommunicationis, qua Ecclesiae se mutuo excommunicant & a mutua communione recedunt.
- 8. Communio mutua Ecclesiarum noscebatur ex litterarum Formatarum commercio.
- 9. Haec litterae certa forma conceptae erant Symbola mutuae communionis.
- 10. Probatur auctoritate S. Augustini & Synodi Antiochena.
- 11. Admissio Fidelium ad mutuas Ecclesias in Divinis erat evidens communionis argumentum.
- 12. Recedebant a mutua communione praedicta communionis argumenta sibi mutuo negando.
- 13. Haec Ecclesiarum mutua separatio non erat proprie censura: nec fiebat auctoritate Clavium.
- 14. Probatur exemplo S. Epiphanius subtrahentis se a communione Joannis Hierosolymitani.
- 15. Haec ratio quisque privatus se a communione alterius subtrahere potest.
- 16. Sic & olim Plebs a suis Pastoribus aut Episcopis a communione se subtraherebat.

- 17. Ob abusum id usitatum per Synodum Oecumenicam.
- 18. Haec separationes licet non essent proprie species censurae; tamen a Veteribus excommunicationibus dicebantur.
- 19. Excommunicatio vulgo minor qualis sit?
- 20. Non videatur Veteribus ante saeculum 13. nota fuisse.
- 21. Hodie passim obsoleta est.
- 22. Antiquius quatuor gradus poenitentiae eidem excommunicationibus minores dicta fuerunt.
- 23. Id & nonnulli Scholastici notant.
- 24. Nisi hoc observetur, sapius a sensu Canonum aberrabitur.
- 25. Excommunicatio qua Poenitentes segregabantur comparata ad proprie dictam excommunicationem merito dicta minor.
- 26. Assignatur distinctio atriisque.
- 27. Una dicitur medicinalis, & altera mortalis ab Augustino.
- 28. Medicinalis excommunicationis vix meminerunt Recentiores, & hodie excommunicatio sumitur pro majore.
- 29. Hodie vix alia sub nomine excommunicationis nota est.

I.  Arie sunt excommunicationis species, quarum quaedam primitus multum usitatae ac notae fuerunt; hodie vero parum incognita & minus adhuc usitatae. Aliae vero olim omnino aut penè ignotae, posterioribus vero saeculis frequentissimae & notissimae.

II. Ne autem ob ignorantiam earum quae Veteribus excommunicationibus dicebantur, a Canonum & Patrum sensu aberremus, non tantum species excommunicationis hodie pervulgatas; sed Patrum aetate frequentatas proponemus, & naturam earum paucis explanabimus; ut dum in Sacris Canonibus, aut Patrum monumentis de excommunicatione agitur, non arbitremur eam semper accipiendam esse juxta phrasim & acceptionem excommunicationis apud modernos Canonistas & Theologos Scholasticos usitatum; atque hinc in gravissimos errores incidi nonnunquam contingat.

III. Prima itaque species excommunicationis Antiquis usitatissima, est illa quae non proprie rationem *censurae*, sed *poenae* ejusdem duntaxat habet.

IV. Excommunicationis hujus exemplum occurrit in Episcopo sine justa causa non accedente ad Synodum Provinciale. Hunc enim Synodus Carthaginensis V. Can. 10. jubet *Ecclesia sua communione esse contentum*. Et Synodus Arelatenis Can. 19. *alienum* facit a Fratrum communione. Denique Synodus Tarracoenensis Can. 6. " usque ad futurum Concilium cunctorum Episcoporum charitatis communione privati; sicut *Statuta Patrum* (ait) sanxerunt.

V. Quin haec communionis privatio dici queat quaedam *excommunicatio*, dubitari nequit. Cum enim hic Episcopus jubeatur esse contentus communione suae Ecclesiae, ac insuper privetur *aliarum Ecclesiarum & Coepiscoporum communione*, censetur respectu illarum Ecclesiarum esse *excommunicatus*. Et quidem haec excommunicatio quatuor capita complectebatur quae videri possunt apud virum eruditum Paschasium Quenellium in notis ad *Epist. 60 S. Leonis* & apud Morinum ibidem citatum.

VI. Verum quia hujusmodi privatio communionis permittit Episcopo & excommunicato liberam suae Ecclesiae & plebis communionem; nec non passivam & activam Sacramentorum administrationem, haec excommunicatio proprie dici non potest excommunicatio, quae vulgo dicitur *censura* Ecclesiastica; sed *poena* quaedam *Canonica*, quemadmodum in terminis notat Stephanus Quaranta in *Summa Bullarum* verbo *Concilio Provinciali* quaestione 18. " & " ideo (ait) trina monitio in ea non requiritur, secus in excommunicatione quae est censura Ecclesiastica. " Una ibidem monens, ad inferendam *poenam suspensionis* non requiritur monitio quando profertur *ut poena*; quando autem profertur *ut censura* trinam monitionem debere praecedere.

VII. Alia species excommunicationis, quae proprie *censura* Ecclesiastica dici non potest; neque a potestate aut usu *Clavium* dependet, est illa, qua Episcopi aut Ecclesiae a mutua se communione separant, atque ita una alteram quasi excommunicant. Ut hoc excommunicationis genus facilius intelligatur, observandum, totius orbis Ecclesias particulares communionem inter se junctas esse, atque ex his omnibus veluti unam universalem Ecclesiam convallescere.

VIII. Porro

VIII. Porro haec communio ex duobus potissimum innotescbat. Primum ex litteris *communione*, quas Episcopi & Ecclesiae sibi mutuo mittebant. Ita Optatus Milevitanus ut se suoque cum totius orbis Ecclesiis communionem junctos esse demonstraret, dicit se cum Syricio Episcopo Romano communicare, cum quo (inquit) *totus orbis commercio FORMATARUM in una communione societate concordat*.

IX. Quod Optatus litteras vocet *formatas*, significat, illas certa formula conceptas fuisse, quas tanquam fidei suae testes & confessionis suae symbola, Episcopi sibi mutuo, sed praecipue ad Romanum Pontificem mittebant.

X. Sic *formatas* appellari testis est S. Augustinus *epist. 44* disputans enim cum Fortunio Episcopo Donatista afferere conante, *ubique errarum* esse cum ipsis communionem. " Quarebam (ait Augustinus) utrum epistolae *communicatorias*, quas *formatas* dicimus, posset, quo vellem, dare, & affirmabam quod manifestum erat omnibus, hoc modo illam terminari posse quaestione.

Manifestum ergo erat, tempore S. Augustini communionem unius Ecclesiae cum aliis probari per litteras communicatorias sive *formatas*, quas sibi mutuo in signum confessionis & communionis mittebant. Apud Eusebium quoque *lib. 7. Hist. Eccles. cap. 30.* refertur epistola Synodi Antiochena ad Dionysium Romanum Urbis Episcopum, & ad Maximum Alexandrinum, quam ad omnes deinde Provincias transmiserunt, qua significat depositionem Pauli Episcopi Samosatani, & Domini in ejus locum ordinationem. " Quod quidem (ajunt) idcirco vobis significavimus, ut & ad eum *scribatis*, & ab eo *communicatorias* litteras accipiatis.

XI. Altera communionis tessera erat, Fidelium ultro citroque ex una ad aliam ecclesiam commeantium in communionem receptio, modo Episcopi sui litteras commendatitias adferrent; de quibus litteris loquitur *Canon. 33* Apostolorum Laodiceus *Canon. 41.* Antiochenus *Canon. 7.* perperam a Gratiano *Dist. 73. Can. 9.* ad Clericos restrictus, uti in notis ad hunc Canonem annotavimus.

Nullum sane unionis & communionis mutuae inter ecclesias potest esse argumentum evidentius, quam Fidelium mutua ad communionem & societatem in Divinis & sacris receptio.

XII. His praemissis non difficile erit intelligere, quomodo Ecclesiae sese mutuo excommunicarent, seu a se mutuo dividerentur. Dum enim Ecclesia aut Episcopus in alterius Ecclesiae aut Episcopi doctrina vel disciplina perversum quid arbitrabatur, negabat, aut etiam rejiciebat litteras communionis; aut repellebat a communione fideles illius Ecclesiae, tamen litteris *commendatitiis* ab Episcopo suo instructi venirent.

XIII. Verum haec Ecclesiarum mutua excommunicatio non erat proprie censura Ecclesiastica, quia una Ecclesia alicui potestate *clavium* ligaret; sed nuda communionis substractio seu denegatio, quam una Ecclesia alteri sibi nullatenus subjicere facere poterat.

XIV. Ita Epiphanius non nisi Episcopus aut ad summum Archiepiscopus, proprie & auctoritate *Clavium* communicare non potuit Joannem Episcopum Hierosolymitanum ipsi nullo titulo subditum, & tamen ad eum ita scribit *epist. 60.* inter Hieronymianas: " Fecistis nos etiam poenitentiam agere, quare *vobis communicaremus*, ita Originis errores & dogmata defendentibus. Simpliciter loquor, nos secundum quod scriptum est, nec oculo nostro parcamus, ut non effodiamus eum, si nos scandalizaverit; nec manui, nec pedi, si nobis scandalum fecerit: & vos ergo, si ve oculi nostri, si ve manus, si ve pedes fueritis, si millia sustinebitis.

Ex his manifestum est, Epiphanium substructionem communionis non in potestate *Clavium*, sed in generale praecipuum de vitanda spiritualis damni occasione refunderet.

XV. Porro non tantum una Ecclesia alteri ecclesiae communionem ob simile periculum perversionis aut scandali occasionem negare potest, aut subinde debet; sed & privatae ob idem periculum sibi imminens, alteri com-

munione merito negat, juxta illud Apostoli 2. ad Thessal. 3. *Denuntiamus autem vobis fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinato, & non secundum traditionem quam acceperunt a nobis.*

Hic nequaquam proprie ab Apostolo excommunicari jubentur Fratres inordinati ambulantes, sed datur opportuno documentum bonis Fidelibus, ut quando ipsi cognoverint etiam *privatum* aliquem *inordinato* ambulante, ab eju se subtrahant communionem seu potius conversationem; tum ne ipsius consuetudine corrumpantur; tum etiam ad medelam & confusionem delinquentis; subdit enim: *Hanc notate & ne commisceamini cum illo, ut confundatur.*

XVI. Eodem documento non tantum Frater sibi jam pridem cavet ad monitum Apostoli; sed interdum plebs a suo Pastore. " Sic cum primum Nestorius in publica Synaxi haeresim suam promississet his verbis: *Si quis Mariam Desiparam esse dixerit, anathema sit*, clamor quidam oritur, & excursus fit ab *omni plebe*. Neque enim illi amplius cum talia sentiret, *communicare* volebant, ita ut populus Constantinopolitanus a *Synaxi abstrineret* ita scribit S. Cyrillus *epist. 18.* ad Caesatinum Papam.

XVII. Plurima hujusmodi exempla in antiquitate occurrunt; adeo ut octava Synodus Oecumenica animadvertens, sepe sine causa contigisse, ut plebs sui Episcopitantum de haeresi suspecti, aut scelere aliquo inquinati, & Episcopi suorum Metropolitanorum, & Metropolitanam sui Patriarchae communionem facile vetarent, & abrumperent, coacta sit edere *Canonem 10.* " Clericus ante diligentem examinationem & *Synodicam* sententiam a communione proprii Patriarchae non separet, licet criminale quamlibet causam ejus se nosse praetendat; nec recuset nomen ipsius referre inter Divina Mysteria. Idem statutum de Episcopis erga proprios Metropolitanos; similiter & de Metropolitanis circa Patriarcham suam. Qui vero contra fecerit, ab omni Sacerdotali operatione & honore decidat.

XVIII. Haec ergo similese a communione separationes nequaquam erant species censurae ecclesiasticae, prout haec a potestate *Clavium* procedit, & non nisi in subditos evibrari potest; neque proprie dicta excommunicatio, quae non tantum *aliquorum* communionem privat; sed rescindit a totius Ecclesiae communionem excommunicatum tanquam Ethnicum & Publicanum, uti infra ostendetur: tamen a Veteribus excommunicationibus dicebantur: agnoscebantque in citatis verbis Apostoli ad Thessalonicenses *excommunicationem*, uti notat Estius ad Textum Apostoli.

XIX. Est & quaedam species excommunicationis apud Scholasticos & Canonistas recentiores notissima, licet hodie vix usitata, & veteribus planè incognita, quae sola tamen hodie dicitur *excommunicatio minor*. Haec ex communi Theologorum & Canonistarum sententia incurritur propter communicationem cum innotato *maiore* excommunicatione *extra crimen*, propter quod excommunicari meruit; privatque solummodo passiva Sacramentorum perceptione; quemadmodum dicitur in *Cap. fin. De Clerico excommunicato ministr. & Cap. penult. De Sent. excom.*

XX. Utriusque hujus Decretalis Auctor inscribitur Gregor. IX. nec scio, num antiquiora aut alia occurrant in Jure nostro Decreta hujus excommunicationis mentionem facientia; quod & Glossa non obscure innuit, dum ad citatum *cap. fin.* notat, quod " haec Decretalis quoad suam materiam, sit celebrior & famosior qualibet alia. Nam infinita jura sunt loquentia de excommunicatione *maiore*, quae inferuntur ab hominibus; sed de *minore* quae inferuntur a jure sunt jura *paucissima*, & aperte non providentia sicut hoc Capitulum. Fatetur & Christianus Lupus *tomo. 1. Scholiorum in Canones pag. 491.* " Antiquitas nulla erat excommunicatio *minor*; sed quivis excommunicato communicans incurtebat idem penitus excommunicationis vinculum, quomodo nunc communicans in crimine. " De hoc effectu excommunicationis dicemus infra.

XXI. Hanc speciem excommunicationis circa saeculum

19. forsan inductam à multis annis propè obsoletam esse notavit Morinus *De Administratione Sacramenti Pœnitentia* lib. 6. cap. 25. num. 13.

XXII. Monet nihilominus ibidem Morinus *minoris* excommunicationis species quatuor, sive gradus apud Antiquos fuisse frequentissimos.

Prima quidem à sola Eucharistia participatione excommunicabatur sive interdicebat.

Secunda priore gravior, ab Eucharistia & precibus Eucharisticis sive Fidelium arcebat.

Tertia addebat expulsiōem sive excommunicationem à precibus super Catechumēnos & Pœnitentes substatos factis.

Quarta denique ab omni Ecclesie ingressu eos excommunicabat.

Has quatuor excommunicationis species, seu pœnitentiæ gradus latius explicuimus *parte 2. tit. 6. cap. 3.*

XXIII. Quamvis hæc à communione separationes hodie nomine *excommunicationis* non veniant; certum tamen est olim etiam appellatas esse *excommunicationes*: fateturque Suarez *De Censuris Disput. 2. 4. sect. 1. nu. 6.* "interdum vocari *excommunicationem* in antiquis Canonibus solam, privationem Eucharistia, cujus usus per anonomasiam dicitur *communio*: quomodo accipi videtur (ait Suarez) illa vox in *Can. NEMO caus. 11. q. 8. & in Can. DE PRESBYTERORUM caus. 17. q. 4.*

Monet quoque ex Victoria prædictos quatuor pœnitentiæ gradus, sive à communione separationes olim potuisse vocari *minores* excommunicationes: additque: "Sic etiam in Regula S. Benedicti multa leguntur de excommunicationibus Regularibus (ut ita dicam) quæ in pœnam Monachis imponebantur, quæ censure non erant, sed prohibitiones & separationes quædam." *De his egimus parte 1. tit. 31. cap. 3.*

XXIV. Hinc patet, quam procul sæpius à sensu & mente Canonum aberrare contingat eos, qui nullâ habitâ præfata, quâ Veteres vocem *excommunicationis* sumebant, consideratione, credunt, omnibus locis quibus vox *excommunicationis* occurrit, eam juxta modernam vocis hujus significationem esse accipiendam.

XXV. Equidem illud certum est, quatuor prædictas excommunicationis species, etiam earum quartam omnium gravissimam, quâ Pœnitentes non tantum ab Eucharistica communione, sed à publicis Fidelium conventibus & communione arcebantur non fuisse nisi *minorem* excommunicationem, factâ comparatione ad excommunicationem, quæ hodie *major* dicitur, & olim *anathema* vocari solebat.

XXVI. Per priorem enim Pœnitentes nequaquam à Corpore Ecclesie rescindebantur, sed in corpore Ecclesie remanentes, etiam Fidelium & Ecclesie precibus & suffragiis juvabantur. Quin & pro ipsis, tanquam pro filiis & membris suis, Ecclesia plurimum sollicita erat; volebatque, ut Episcopi & Sacerdotes eorum curam sollicitam agerent, quemadmodum ostendimus *parte 2. tit. 6. cap. 3.* Hos à communione & societate Fidelium duntaxat pro tempore aliquo, ad vulnere medelam, scandali dati reparationem, & populi ædificationem removebat. Utque ostenderet non omnino tanquam membra putrida & mortua à Corpore suo esse abscissos, si tempore pœnitentiæ nondum exacto, nec reconciliatione obtentâ, eos mori contigisset, *oblatio* nes ipsorum in signum communionis recipiebantur. Vide Gabrielem Albalatrum Episcopum Aurelianensem lib. 2. *Observat. cap. 4.*

Excommunicati verò excommunicatione quæ hodie dicitur *major*, à corpore Ecclesie tanquam *Ethnici & Publicani* rescindebantur; & ut tales quodammodo reputabantur: unde nec eorum in publicis precibus aut suffragiis ratio habebatur saltem tanquam membrorum Ecclesie; & si in ea excommunicatione è vivis decessissent, oblationes ipsorum rejiciebantur, in signum quòd Ecclesia nullam cum ipsis communionem fovisset; nec post mortem tanquam sui Corporis membra eos agnoscere vellet.

XXVII. Hinc prior excommunicatio, quâ Pœnitentes

à communione removebantur, dicebatur *excommunicatio medicinalis*; hæc verò quæ rebelles & fœderati ac obdurati absolutè à Corpore Ecclesie rescindebantur, vocabitur *excommunicatio mortalis*.

Utriusque hujus excommunicationis sæpius meminit sub nomine *medicinalis & mortalis* S. Augustinus, ac signanter libro 50. *Homiliarum Homilia ultimâ* hæc habet: "Nos verò quemquam à communione cohibere non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum *mortalis* sit, sed *medicinalis*, sed nisi aut sponte confessum aut in æquo si- ve Seculari, sive Ecclesiastico iudicio nominatum atque convictum. "Et in lib. post collationem contra Donatistas ait: "Neque à populo Dei separamus, quos vel degradingo, vel excommunicando, ad humiliorē pœnitentiæ locum redigimus. "Quibus verbis Augustinus aperte distinguit excommunicationem medicinalem, quâ homo ad humiliorē pœnitentiæ locum redigitur, ab excommunicatione mortali, quæ hominem à populo Dei separat.

XXVIII. Hujus excommunicationis pœnitentiæ seu *medicinalis*, uti & aliarum: quæ licet propriè non sint *censura*, tamen olim excommunicationes frequenter dicebantur, vix meminere Juris Canonici Glossographi aut Theologi Scholastici; atque hinc sensim contigit, *Canon*es de *excommunicatione* loquentes, passim & indifferenter intellectos fuisse de excommunicatione *majori & mortali*; ut tandem invaluerit, quòd *excommunicatio simpliciter* posita intelligenda sit de excommunicatione *majori sive mortali*, quemadmodum etiam respondisse videtur Gregorius IX. in *Cap. penult. De Sent. excommuni.* dicens: "Si quem sub hac forma verborum, *illum excommunico*, vel simili à iudice suo excommunicari contingat: dicendum est, eum non tantum minoris, quæ à perceptione Sacramento- rum, sed etiam *majori* excommunicatione (quæ à communione Fidelium separat) esse ligatum.

XXIX. Itaque cum spectatâ modernâ disciplinâ, & loquendi formâ, sola *excommunicatio major* seu *mortalis*, nomine excommunicationis intelligatur; nec alia penè nota sit, etiam de hac duntaxat hoc titulo tractabimus; & quæ circa eam & pristina fuerit & hodierna sit disciplina Ecclesie examinabimus: hoc unum tamen præmonentes, ne antiquiores *Canon*es de *excommunicatione* loquentes, indifferenter de excommunicatione *majori* accipiantur: ne aliâ à Canonum sensu aberretur.

#### CAPUT IV. De Effectu Excommunicationis.

1. Excommunicatio major abscindit excommunicatum à corpore Ecclesie.
2. Hanc abscissionem admodum gravem crediderunt Patres.
3. Excommunicatus habetur ut *Ethnicus & Publicanus*.
4. Unde privatur omni eo quod tanquam Ecclesie membro competere possit.
5. Quare excluditur à Divinis Officiis.
6. Olim & moris sui nomen ejus è dyptichis Ecclesie eradi.
7. Pro excommunicato tanquam Ecclesie membro publicè orandum non est.
8. Potest tamen scuti pro *Ethnico & Publicano*.
9. Excommunicati ab omnibus Officiis Ecclesiasticis excluduntur.
10. Excommunicatus ex verbis Christianum excluditur ab iis que Fidelibus competunt ut membris Ecclesie.
11. Exclusio eorum à communione in civilibus est tantum juris positivi Ecclesiastici.
12. Omnis illa communio ex præcepto Christi neganda est Excommunicato, quâ in membris Ecclesie agnosceretur.
13. Hodie non omnis excommunicatus est vitandus juxta extravagantem Martini V.
14. Tenor hujus extravagantis sub nomine Concilii Constantiensis.
15. Hæc extravagans tamen non exet in aliis istius Concilii tamen- si sit Ecclesie recepta.
16. Excommunicatus juxta hanc Extravagantem non est vitandus nisi sententia fuerit publicata vel denunciata.
17. Nec sufficit sententiam in aliquem specialiter esse prolatam.
18. Non obstante hinc Extravagante Excommunicatus interdum esse rescindendus, tanquam publicè peccator à Sacramentorum susceptione.

19. *Regula in extravagante posita excipitur Notorius Clerici per- cussor.*

20. *Multa intervenire possunt nec hic vitandus sit.*

21. *Circa vitandem Excommunicatorum multum attendenda præ- cis Ecclesie.*

I. **E**t excommunicationem majorem, quæ olim *mortalis* & vulgo *anathema* dicebatur, Excommunicatum à Corpore Christi, quod est Ecclesia separari & abjici, & tanquam *Ethnicum & Publicanum* è Fidelium albo expungi, manifestè significant verba Christi quibus hanc potestatem Ecclesie expressit, & Apostolus credidit: *Si Ecclesiam non audieris, sit tibi sicut ETHNICUS & PUBLICANUS*: quasi diceretur, ita abscondatur à corpore Ecclesie tanquam si esset *Ethnicus & Publicanus*.

II. Ad hanc à Corpore Ecclesie rescissionem reflexere Patres, ut hujus excommunicationis gravitatem Fidelibus persuaderent.

Sandus Augustinus *tract. 27. in Joannem* ait: "Nihil enim sic debet formidare Christianus, quam separari à Corpore Christi. Si enim separatur à Corpore Christi, non est membrum, non vegetatur spiritu ejus: *Quisquis an- tem*: inquit Apostolus, *non habet spiritum Christi non est ejus*. "Extrat apud Gratianum *Caus. 11. q. 3. Can. 33.*

III. Primarius itaque excommunicationis effectus est, separatio Excommunicati à corpore Ecclesie; ita ut non amplius ut membrum istius corporis; sed tanquam *Ethnicus & Publicanus* reputandus & tractandus sit.

IV. Hinc ulterius consequitur, vi hujus excommunicationis excludi & privari Excommunicatum omni jure quod ei competeat tanquam membro corporis Ecclesie: omnibusque quæ Fidelibus ut *membris* Ecclesie competunt.

V. Hac de causa excommunicati ad publicas preces, divinaque Officia solis Fidelibus & Ecclesie Filiis patentia admittendi non sunt. Unde *Canone 10.* vulgò Apostolorum decernitur: "Si quis cum excommunicato, vel in domo, una præcatus fuerit, is segetetur. Quâ ratione inno- dentur excommunicatione Sedi Apostolicæ reservata qui excommunicatos ad Missarum solemniam adducunt, & exire prohibent, vide in *Clem. 2. De Sentent. Excom.*

VI. Ideo jam pridem moris fuit, nomina excommunicatorum è dyptichis Ecclesiarum eradi: eò quòd habere *nomen in dyptichis*, & inter Missarum solemniam ex iis nomen alicujus recitari, indicium esset, illum esse de communione Fidelium & de corpore Ecclesie; uti docet Theodorus Antiochodori Episcop. in expositione Missæ ita scribens: "Vivum enim in sacris liturgiis celebratur memoria, ut subditur erga Superiores obedientiam, & *urventium* in ea; dem fide ac mysteriis unio, & commemoratio indicaretur. Vide latius Du Cange in suo Glossario mediæ & infimæ latinitatis verbo *dypticha*; ibidem varias species dyptichorum referens & singulorum usum exponens.

VII. Ab omnibus igitur publicis precibus, quæ specialiter pro Fidelibus & membris Ecclesie ut *talibus* fundantur, excluduntur Excommunicati; atque hujusmodi preces pro ipsis recitari vetantur; ne hac pro ipsis recitatione, viderentur tanquam *Ecclesie membra* agnosci, & ad fidelium communionem admitti; eoque sensu verum est, quòd dicitur in *Cap. 28. De Sent. Excom.* & notant communiter Interpretes, pro excommunicato non esse *publicè* orandum.

VIII. Verum sicuti pro *Ethnicis*, *Hæreticis* & *Scismaticis* publicè orat Ecclesia in die Parasceves, ut ab errore suo convertantur, & ad sinum matris Ecclesie sue revertantur; quidni & pro quibuscunque excommunicatis *publicè & directè* orari poterit, ut respiciant, & spiritus illorum salvus sit in die Domini.

Itaque Ecclesia orat pro *Hæreticis* & *Scismaticis*, licet excommunicatis, non orationibus institutis pro suis membris; sed aliis institutis pro iis qui tales non sunt; uti loquitur Martinus Navarrus in *Summa cap. 27. num. 71.* ex quo ulterius ibidem inferri, quòd licet nemo debeat orare nomine Ecclesie & tanquam persona publica pro infidelibus & excommunicatis orationibus deputatis ad orandum pro su-

is membris, possit tamen orationibus quas habet compositas ad orandum pro infidelibus & excommunicatis. Vide latius Estium in 6. *Sent. Dist. 18. §. 12. & 13.* ubi multis probat, Ecclesiam etiam *directè* orare pro excommunicatis.

IX. Interim si excommunicati nequidem ad communes Synaxes & Ecclesiasticos conventus, omnibus passim Fidelibus & membris Ecclesie patentes admitti queant, ne hæc admittione ad communionem & societatem Fidelium, à qua abscissi sunt, admitti videantur, multò minùs admittendi sunt ad functiones & Ordines aut Beneficia ecclesiastica, à quibus non tantum *Ethnici & Publicani*, sed & multi è Fidelibus excludendi sunt. Et si per excommunicationem tanquam putrida membra à Corpore Ecclesie rescindantur, quanto magis ab omni ecclesiastico officio, quòd non nisi vivis ac excellentioribus Ecclesie membris committendum est, submoveri & excludi debent. Hinc multis sæculis ignota fuit quæstio hodie à Scholasticis agitata, num excommunicatus *ipso jure* & facto excidat suo Beneficio, & similes quæstiones.

X. Dicit quis, si excommunicatus non sit vitandus, nisi ut *Ethnicus & Publicanus*, non videtur excommunicatus excludendus à communi Fidelium conversatione, aut civili commercio: nam nec *Ethnicus*, nec *Publicanus* ab his excludendi sunt: nec vetuit Christus Fidelibus communicare in his cum *Ethnicis & Publicanis*.

Verum est, attendendo sola Christi verba, quibus auctoritatem excommunicandi expressit, non videtur excommunicato ea neganda, quæ *Ethnicis & Publicanis* permittuntur: cum Christus solum dicat, Ecclesiam non audientem habendum esse ut *Ethnicum & Publicanum*. At ipsi Apostoli eorumque Successores, ut Fideles à contagio vitiorum & errorum cautius præservarentur, voluerunt etiam à familiari ac civili communione excommunicatorum abstinere, juxta illud Joannis Apostoli Epist. 2. *Si quis venerit ad vos & hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum nec ave ei dixeritis: qui enim dicit eis ave, communicat operibus ejus malignis.*

XI. Sed cum hæc solum ab Apostolis eorumque Successoribus, ut facilius contagium vitiorum & errorum vitaretur, præscripta fuerint, illa non juri divino, sed humano adscribenda sunt: quòd & Alymaynus in *Tractatu De Potestate Ecclesie quest. 1.* annotavit, ubi ait: "Tertium Corollarium quòd sequitur est, quòd vitare excommunicatum, quantum ad Collocationem & illa que sunt membra, re civilia, non videtur esse de jure divino. "Eodem fundamento Joannes Driedo *De Libertate Christiana cap. 14.* docet, nos ex Constitutione Juris Divini non prohiberi cum *Hæreticis* edere & bibere.

Et apertius Christianus Lupus cum annotasset quomodo circa 9. & 10. sæculum excommunicationis effectus de repulsiōe excommunicati à societate civili ultra modum fuisset extensus, ut propterea editis *Decretis* eum paulatim remittere debuerint Pontifices, tandem addit: *Omnis hæc res non est dogmatis sed disciplina: ideoque per Ecclesiam potest ex causis disponi variè atque mutari* Tom. 5. Schol. Pag. 132. Et Pag. 150. relatis literis Innocentii III. ad crucelignatos ait: *Et hinc luceat, Catholicos Gallia, Germania, Anglia ac Belgii incolæ cum habitantibus istis Hæreticis posse libere in civilibus tractare.*

XII. Itaque, ut verbo concludam, ex præcepto divino excommunicatus tanquam *Ethnicus & Publicanus* vitandus est; sive omnis illa communio ei neganda, quæ *Ethnico & Publicano* negatur, nec alteri quam *fidei & Ecclesie* communione juncto conceditur: quia si hæc communio concedatur, jam pro *fidelibus* hoc ipso agnosceretur.

XIII. Sed nec sic juxta modernam Ecclesie disciplinam vitandus omnis excommunicatus excommunicatione *majori*, sed soli illi excommunicati de quibus loquitur Extravagans Martini V. quæ incipit: *Ad vitanda.*

XIV. Extravagans hæc sub nomine Martini V. tanquam edita in Concilio Constatientiensi refertur à S. Antonino in *Summa parte 3. tit. 25. cap. 3.* his verbis, "Ad vitanda scanda & multa pericula subveniendumque concien-